



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De immunitate Ecclesiarum. Consilium DXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

profani facilius toleretur, propter licitum principium; apprehensionis scilicet, & persecutionis in loco licito & permisso. * Ex qua eadem consideratione idem quoque permittendum videtur adversus eum, qui in loco non immuni apprehensus, interea dum ducitur, eludendo, aut aliter se eripiendo, manus apprehendentis Iustitiæ evadit, & ad locum sacrum confugit; præsertim quando etiam sic (ut in proposito casu) reperitur pecuniariam fecisse promissionem de sequendo ad carcerem: quid enim interest, effraeto carcere erumpat, an ex manibus capientium sic erepat, *h. Sed eximendi Ne quis est qui in ius vocatus est, h. solum De verb. signif.*

3 Cæterum quamvis probabiliter hæc dicantur, ab expresso tamen jure recedere, & Ecclesiasticæ libertati nimium contrariari videntur. Sic ut in hoc articulo Baldus & Alexander sibi non satis consent, & uno loco, Bald. in l. quis sit fugitivus §. apud Labeonem De adlit. edito. Bald. in l. Cunctos populos C. De sacros. Eccles. Alexand. d. consil. 24. nu. 26. extractionem Magistratui sæculari permittant, propter licitum initium; alio verò loco id iterum illi denegent, Bald. & Alex. in l. Plerique De in ius vocando. Exemplo domus propriæ, à qua nemo invitatus extrahi debet, cum tutissimum debeat cuique esse refugium, d. l. Plerique: & ne quidem eo casu, quo insequente Magistratu in loco publico, quis vel limen domus suæ attingit: Multo ergo minus confugientis ad Ecclesiam extractio permittenda est sæculari iudici his casibus: cum Ecclesia in jure refugij & asyli, privilegium propriæ domus superet, præsertim in eo, quod ex delicti causa regulariter ex domo propria quis extrahi possit, in Authent. Ut nullus iudicum §. si verò quis comprehensorum, gloss. in l. Sed etsi de in ius vocan. non possit autem extrahi per Iudicem sæcularem ab Ecclesia, l. præsentem c. De his qui ad Eccles. confug. d. can. Inter alia, can. Definivit, can. Id constitutum xvii. quest. 4. Quam sententiam magis etiam probat Iason, in d. Plerique nu. 12. & Chassaneus contrarium asserentium sententiam non bene fundatam esse asserit, ad consuetud. Burgund. Rubr. 1. de iustit. & droitz §. 3. ad verb. s'il n'est par grace nu. 116. sub fin. testanturque Nicolaus Boerius, decis. 110. nu. 9. & Ioannes Papon, arrest. lib. 1. tit. 1. c. 17. pro immunitate Ecclesiæ, adversus sæcularem Iudicem extrahentem, sæpius in Parlamento iudicatum fuisse. Ita ut in proposito casu sibi imputare debeat Præfectus, quod apprehensum malefactorem arctius non asservaverit; ejusque nudæ, non juratæ promissioni crediderit, & occasionem fugiendi ad Ecclesiam non præripuerit; cum hoc privilegium non sit ipsius malefactoris, sed Ecclesiæ, Lud. Roman. consil. 226. Spectabilis Domine, cui imputari non potest, quod Reus manus apprehendentium, præsertim sine violentiâ, evaserit. * Quâ

4 eadem ratione contingit, ut libertas illa, quam feris bestiis natura tribuit, per captionem & apprehensionem adimatur, & constringatur, quamdiu custodiâ capientis coercetur; verum simul atque capta fera custodiâ evasit, & in naturalem libertatem se recepit, occupantis esse definit, l. 3. in fine De acquir. rerum dom.

5 Cujus naturalis libertas imaginem habent asyla, & sacrosanctæ Ecclesiæ; ut ad has cuique atro-

cioribus illis criminibus non obnoxio, confugere liceat cum spe, imò certitudine libertatis, quod inde non abstrahetur, l. Quis sit fugitivus §. apud Labeonem De adlit. edito: ita ut principij liciti ratio haberi non possit, propter mixturam, & consequentiam illiciti; prout communius etiam receptum est, & magis probatum, Barbat. consil. 26. Illustris vol. 1. Neque verò ea in parte quicquam invenio in concordatis, quod in hoc articulo aliquid contra communem juris regulam statuat; quin potius extrahendi facultatem in casibus permissis arctiorem illa facere videntur, quatenus solam repetitionem, non etiam extractionem sæculari potestati permittunt: ita ut restitutio & exhibitio confugientis per Ecclesiam, seu ejus ministros, illis casibus Iustitiæ sæculari, non extractio per Iudicem sæcularem, facienda sit. In quam partem procliviores nos facit usus, qui in hacre olim fuit, quique demonstratur per exemplum restabilimenti in simili casu facti anno 1526. usus etenim & consuetudo ut legis, ita quoque statutorum optimam adfert interpretationem, l. Si de interpretatione De legib.

Hoc nihilominus fateor, quamvis hæc rationes præponderare omnino videantur; articulum tamen in contrariis Doctorum opinionibus sine scrupulo non esse: potissimum quod qui pro libertate, & immunitate Ecclesiæ in hoc articulo stant, ingenuè fateantur, Chassan. loco supra cit. Boerius d. decis. 110. nu. 9. alibi, & aliquoties etiam in favorem Magistratus sæcularis, contra Ecclesiæ immunitatem, his casibus, quibus Reus custodiâ effringendo, ad Ecclesiam confugit, iudicatum esse. Ideoque consultum esse, ut hæc controversia æquabili aliquâ concordia sopiatur potius, quàm in tantâ incertitudine & opinionum conflictu alea; & periculum iudicii subearur.

De immunitate Ecclesiarum.

SYMMARIUM.

Immunitas à contributionibus necessariis.

1. Ecclesiastici an gravari possint pro extruptione fortalitij.
2. Immunitas assistorum non arguit immunitatem omnium patrimonialium.

CONSILIVM DXVII.

QVAMVIS multa colorata proferri posse videantur pro Reverendi Domini Abbatis S. Michaelis immunitate, & excusatione adversus instantem exactiorem, & contributionem centesimæ partis pretij, seu æstimationis domorum in Oppido Antwerpensi sitarum ad extruccionem novi castri, seu fortalitij, quod Regia Catholica Majestas adversus futuras seditiones, rebelliones, ac malos subditorum conatus pro conservatione Catholice fidei, Ecclesiarum, Clericorum, Mercatorum, & Civium nuper construi fecit: dictoque Domino Abbati plurimum abblandiri videatur juris Canonici definitio, secundum quam Ecclesiastica immunitas etiam ad fossarum seu murorum repARATIONES extendi videtur, c. Non minus De immunit. Eccles. Iuris tamen veritas, & communis totius Christiani orbis observatio, dicti Domini Abba-

ais intentioni minime suffragatur.

1. Nam in huiusmodi non personalibus, sed realibus; hoc est quæ possessionibus indicuntur exactionibus, ad extructionem murorum, caltri, seu fortalitij, perinde ut ad instructiones itinerum & pontium, l. *Ad instructiones C. De sacros. eccles. bona Ecclesiasticorum censeri, ac contributionibus subijci possunt, l. 2. C. De quibus muner. vel prestat. nemini se liceat excus. lib. 10. & ibi Lucas de Penna*; quoties huiusmodi extructio aut refectio non ad ornatum, sed exigente necessitate ad defensionem ac tuitionem civitatis & civium fit. Cum enim ad tutelam omnium pertineat, merito in eam ab omnibus contribui debet, & sic etiam de bonis Ecclesiæ temporalibus, ad quorum defensionem & conservationem huiusmodi fortalitij erectio tendit, l. *Navis onusta Ad leg. Rhod. de statutu, eleganter Bald. consil. 312. Si de iure communi vol. 3. Guido Papa decif. 78. An Ecclesia teneatur, Ioan. Franc. Ripa consil. 1. Etiam clerici sub iur. de muner. & honor. Nicol. Baldus per Ottavian. Cacheran. decif. pedem. 68. & ibid. Cacher. nu. 7. Nihil facientibus ad excusationem quorundam alijs considerationibus; quia (ut eleganter deducit Guilielmus Benedictus, ad c. Ramulus in verb. & uxorem nomine Adelastam nu. 469. & seq. De testam.) potius cortici verborum, quam intentioni iurium inhærent. Nihil etiam faciente illa consideratione, quod civium, non Ecclesiasticorum culpâ in hanc necessitatem extruendæ arcis seu fortalitij præactum Oppidum deductum sit, cum gravissimo & particulari dictæ Abbatæ damno, in quod ex imaginum confractio, & ornamentorum direptione incidit. Nam pro pœna delinquentium seu præteriti delicti hæc arcis constructio reputari non debet (pœna enim personalis est, & quemque tantum tenet, neque per extructionem arcis remissa censetur, l. *Sancimus C. De pœnis*.) sed pro futura defensione, & similibus delictorum aversione; in quo vel prima Ecclesiæ commoditas, & utilitas consistit: ita ut non satis rationi aut æquitati consentanea videatur excusatio ab hoc onere.*

2. Sed nec ad aversionem huius oneris, satis ponderis habere videtur promissio, quam Magistratus dicti Oppidi anno 1543. dictæ Abbatæ fecit; de conservanda illi immunitate adversus omnia augmenta assisiarum, jam tunc facta, & in futurum facienda, ad opus, ac conservationem fortificationis dicti Oppidi: nam restrictior videtur ista promissio; restricta scilicet ad eam fortificationem, quam civitas tunc cœperat, & postea continuavit: non etiam extensa ad hanc, quæ per Regiam Majestatem, non ex decreto Ordinum civitatis, pro avertendis seditionibus, ac turbatione rei publicæ impedienda, imperata est; maxime cum ipse Magistratus talem immunitatem promittere non potuerit in præjudicium Principis. Deinde ipsa oneris species expressa restrictiorem facit promissionem: assisia enim cum ex usu ad esculenta & poculenta pertineat, non comprehendit munera seu onera patrimonialia, quæ possessionibus indicuntur, l. *Qui immunitatem C. de mun. patrimoniorum lib. 10.* Vnde cum hæc nova indictio pro assisia non reputetur, non debet quoque sub dicta promissione contineri. Et si contineri posset, quia

Conf. Wamef. Tom. II.

tamen nova Principis, non Oppidi, indictio est, nec ad sublevationem onerum ipsius Oppidi instituta; difficile foret obtinere ex speciali hac conventionem, ac promissione, adversus illam, immunitatem vel excusationem.

Nihilominus cum ipsi inductioni adiecta quoque reperitur causa onerum ipsius Oppidi; sic ut propter illa, modus & quantitas novæ inductionis major sit constituta; probabiliter ex dicta promissione sustineri posset, quod deductis impensis dicti caltri, in eo, quod excedit, & pro illius portione, civitas dictam Abbatiam relevare, & immunem conservare deberet. Verum quandoquidem illud adhuc illiquidum est, non videmus modum nec rationem declinandæ aut subterfugiendæ promptæ solutionis, seu nantizationis: cum hæc novæ arcis extructio omnem moram & excusationem excludat. Consulto itaque Reverendum D. Abbatem futurum putamus, si cum Magistratu de hac re amicaliter agat, & promissam immunitatem urgeat. Quod si hic nihil pro voto impetrabit, superest sola protestatio, quam Reverendus Dominus solvendo faciet, de faciendâ soluti repetitione, & retinendâ ac conservandâ suâ actione adversus dictum Oppidum, seu ejus Magistratum ex dicta promissione.

De immunitate Ecclesiarum.

SUMMARIUM.

Immunitas à contributionibus necessarijs.

1. Ecclesiarum & clericorum persona ac bona sunt immunita ab omnibus exactionibus.
2. Clerici quando in casu necessitatis contribuant.
3. Clerici an sine consensu Papæ in exactiones Principis secularis consentire possint.
4. Clerici in exactiones Principum sine licentia Papæ consentientibus statuta pœna.
5. Exactionum forma antiqua inspicienda & servanda.
6. Consuetudo talliandi clericos reprobat.

CONSILIUM DXVIII.

VALDE difficiles sunt quæ pro parte Cleri provincie Hannoniensis proponuntur quæstiones; præsertim in horum temporum perplexis difficultatibus, & Interpretû Doctorumque sententijs per omnia non concordantibus: nam modò in hanc, modò in illam partem inclinat cujusque opinio; & interdum vix est ut veritati locus sit. De quâ tamen veritate quia consulimur, paucis quid de propositis quæstionibus videatur, respondebimus.

Hoc manifestum & indubitatum est (quod etiam in propositis quæstionibus assumitur) omni jure Ecclesiam & Ecclesiasticas personas, tam ratione personarum, quàm bonorum suorum Ecclesiasticorum immunes & liberas esse ab omnibus ordinarijs, & extraordinarijs exactionibus, contributionibus, indictis & superindictis. Extant enim plurima loca non tantum in jure Canonico, c. *Non minus c. Adversus De immunit. eccles. c. Quamquam de cens. lib. 6. c. 1. De immunit. eccles. lib. 6. clemen. 1. eod. tit. Concil. Trident. Sess. 25. de reformat. cap. 20. sed*

R. r

sed